

Conspicui, ejus crudelis cautio cœdis  
 Constiterat Christi cultores carnificare.  
 Conjubilent circumfulgente charismata calvo  
 Cæcato cuncti : Christi clamore citatus  
 Corruerat cito, ceu confossus cuspide, conto,  
 Confestimque capit conscensum culmine cœli,  
 Clarivido cernens conspectu Cunctipotentem,  
 Confore cor ejus claret cœleste catinum.

CAP. X. — *Quod factus sit ex persecutore prædicator, et quod comam nutrive, et turpem velarit proferre sermonem.*

Carmina clarisonæ calvis cantate Camenæ.  
 Conglomerate choros, calvos cantate choreis.  
 Censuram celebrem calvum compsisse colendum  
 Comperimus ; cœli consul, consulta canendi  
 Crimina confutat, cœnosi cuncta coercet  
 Colloquii, cunctis communia commoda censet :  
 Confindit cirros, collegia civica condit.  
 Conciliando, consponsorum Christicolarum  
 Corda ciet, capiti corpus conjungere certans ;  
 Cesset cerritus celebres contemnere calvos.

CAP. XII. — *Alloquitur Camenas poeta de cavillatore insinuante eum calvi regis judicio cæcatum.*

Carmina clarisonæ calvis cantate Camenæ.  
 Crudelem calvos casso conamine cunctos

(*Explicit carmen Hucbaldi monachi ad Carolum de laude Calvorum.*)

A Carpere conantem compescite crimine captum ;  
 Conviciū commentantem commenta caduci  
 Concito convictum claustris concludite cæsis.  
 Calvaster censor cæcari crimine captum  
 Censet ; cæce canis, cessa contemnere calvum :  
 Conquinisce, canis, confingens crimina calvis,  
 Conquinisce, canis collatrans crimine calvos,  
 Conquinisce, cani, cessans corrodere calvos.

CAP. XII. — *Epitoma laudis calvorum a corporis situ et pulchritudine, et quod calvus microcosmus sit.*

Carmina clarisonæ calvis cantate Camenæ.  
 Concilium clarum calvorum cogere cœtum :  
 Cum cernis calvum, cœli comprehendito cinctum.  
 Calvithi culmen cœli cognoscite centrum,  
 B Circuitum cosmi commendant cœtera calvi.  
 Calvos consocia, candentes congere calvos.  
 Cynthia cessabit chryseos conferre colores :  
 Cornus contenebrans, cedit concreescere calvis ;  
 Collucent calvi, calvorum cassida candet,  
 Conrutilans cœli ceu copia clara coruscat,

*Clausula carminis.*

Carmina clarisonæ calvis cantate Camenæ.  
 Conveniet claras claustris componere cannas  
 Completur claris carmen cantabile calvis.

#### ADNOTATIONES.

Multa mendosa in hoc carmine restitutione opus habent, siquidem nugari quispiam velit. In præmio lege:

Collatrent crimine claro.

Cap. 1. Legendum censeo :

Corde creatorem conspectat cordeque cœlum

Cap. 3 :

Cessa calvastrum cessa corrodere casse.

Cap. 4 :

Compugnant calvis cristati casside con.

Videlicet hostem communem terrificando. Cap. 5, scribe :

Corruptum capitis coxa, cervice, cruorem.

Cap. 7, lego :

Cordeteans cunctis castratur Cocio culpæ.

Cocio hariolator apud Plautum et alios, huic monacho designat prophetam. Et sane fateri cogimur hominem non paucae lectionis fuisse. Imitatur enim clare et exprimit Virgilium, Persium, Terentium, Plautum, Lucretium et nonnullos alios optimos scriptores, in tanta angustia compedum, ingenii tamen radios non plane opprimens.

Hæc scripseram cum ex Bohemia chartam scriptam ejusdem hujus auctoris accepi, atque ecce aliquot paris pretii versibus auctiorem ; quæ scilicet votum pro Cæsare Carolo Calvo referat alibi non expressum, quod adeo pertinere ad reliqua existimo, ut ipsam causam enarrare censeam qua motus auctor scripserit

Carmine claro cave calvos calvare, Camena,  
 Crispa cadat contra caudata calumnia cirre  
 Calvorum charitates cantate carmine claro.  
 Conticeant cum clangenti concite canore.  
 Conciderint cœli cum Christi culmina cultu  
 Cæsareæ cepides, cauti cata cista Catonis  
 Concludant cleri captantia carmina culpas.  
 Carmina calvorum comptrix conclude, Camena.  
 Carole cum calvis, Cæsar clarissime, canta,  
 Crucifero Christo clari conamina cleri.  
 Clausa Camena capit cum Cæsare congrua curam.

Compta corona cave ; cum Cæsare condita calvo  
 Charoleos comunt celebrantia carmina calvos.  
 Christe, caput calvum cum compto contueare,  
 Crux ejus cunctis condonat crimina calvis.

Atque hoc auctario mactus sit lector, ne frustra tantum tædium tantumque chartæ nos et sese insum-  
 psisse atque devorasse dicere possit.

## HUCBALDI MONACHI

### EPISTOLA METRICA AD CAROLUM CALVUM IMPERATOREM.

*Mittit ei Milonis magistri sui carmina de laude parcitatis (704.)*

(Apud Marten., Thes. Anecd., tom. 1, col. 45.)

CAROLO imperatori Augusto HUCBALDUS.

Aurea lux mundi, Francorum gloria regni,  
 Inclyte Cæsar, ave, spes et honor patriæ.  
 A proavis nomen retinens, pariter quoque nu-  
 [men,  
 Charus Christicolis Carolus es popullis.  
 Cui Deus imperio mundum quem condidit almo,  
 Imperii sedem præbuit ipse piam.  
 Hinc qui nobiliter regni moderaris habenas,  
 Affectant cuncti flectere colla tibi  
 Subque tuo totus concurrat fœdere cosinus  
 Te rectore sibi jura petens fieri.  
 Quin etiam tanti congaudens principis omen,  
 Orbis Roma caput subdidit ipsa caput.  
 Plura, sed ut paucis concludit pagina verbis  
 Cujus amore cales, ejus honore potes.  
 Præterea quoniam commissi jura decenter  
 Disponis regni tu quoque lege Dei :  
 Interius dum præfulget sapientia sensus.  
 Exteriusque domus prænitet ex opibus.

(704) Præfationem hujus libri, nunc deperditi,  
 apud nos in MILONE omissam, hic ex Martenio sis-  
 timus. EDIT. PATROLOGIÆ.

*Miloni Elnonensis monachi Præfatio ad Carolum  
 regem in librum metricum de laude parcitatis.*

Glorioso regi CAROLO MILO supplex  
 Principibus priscis vatam placuisse Camenas  
 Novimus, et sumptos tali pro munere honores.  
 Virgiliusque suum calamo trivisse labellum  
 Non doluit, quoniam amissos servavit agellos.  
 Naso, Tomitanis peregrinus exsul in oris,  
 Carmine multiplici mulcebat principis aures.  
 Porphyrium variis quæ pinxit metra tabellis  
 Solvere exsilio biathanaton ore putentem ;  
 Christicolis vomuit quia plurima probra nefandus,  
 Conqueror auxilium vos huic tribuisse Camenas.  
 Tarquinius Priscus, Cumanæ scripta Sibyllæ  
 Empturus, pretii pondus causatur enorme,  
 Et dari detrectat quod vates avara requirit :  
 Sed tribus exustis nimio discrimine libris,  
 Sex reliqui sero pretio taxantur eodem.  
 Græculus Augusto cum ferret xenia metri,  
 Et caperet nullum tanto de principe donum,  
 Non ille audaces compescuit ante Camenas,

A Cum Salomone potens, prudenti pectore pollens,  
 Terram laude reple, mente superna tenes.  
 Et quia præcelsum rimaris dicta sophiæ,  
 Hincque frequens animus gaudet adesse tuus :  
 Suscipe magna quidem, parvo sed pondere, dona  
 Quæ tibi *παιδείας* aggregat hic pariter.  
 Quo rudis prisce legis congesta nitescunt  
 Famina, quæ biblo scripsit in hoc modico  
 Milo poeta tuus, noster didascalus idem,  
 Ingenium ejus hoc bene prodit opus :  
 Carmine qui quondam Vitam descripsit Amandi,  
 Præsulis eximii, detulit atque tibi.  
 Hunc quoque conscriptum vestro sub honore li-  
 [bellum,  
 Dum euperet votum percelebrare stum,  
 B Occidit humanæ persolvens debita vitæ,  
 Carpens æthralem sic super astra viam.  
 Sed prius algentes quam vita relinqueret artus,  
 Jusserat ista mihi pignora chara dari.  
 Hinc æstu cœpi, sed mox angoris aduri,  
 Frontis in hoc libro quid facerem titulo :

Donec ab Augusto elicitis vel versibus, ipsi  
 Redderet obiato geminos pro carmine nummos,  
 Distichon accipiens, pauperque minuta rependens,  
 Se largum memorat, regem condemnat avarum.  
 Post oblatum ei corvus dum voces salutans  
 Spernitur, has deflexus effundit ab ore querelas.  
 Impensas operas memorans perissem, nec ullum  
 Solamen bajulo se posse rependere egentem,  
 Sicque negata prius commercia plura reportat.  
 Milo poeta tuus, rex illustrissime regum,  
 Coryus ego crocitanus humili te voce saluto,  
 C Perlidus ille Noe non qui pia claustra refugit,  
 Sed qui mane plum pavit, qui vespere vatem,  
 Multiplici vestro quia mens mea fervet amore,  
 Hoc satis exiguum transmitto thesaurum, precorque  
 Ut tibi tuta salus et perpes gloria cuncto  
 Tempore sit vitæ, donec translatus ad astra  
 Cum Christo maneat, vigeas cum regibus almis.  
 Sitque ex te genitis felix successio regni.  
 Carmina lege carent, si præmia nulla merentur.

*Libri titulus hic sequitur.*

UTILIA TELA SACRÆ PARCITATIS adversus coquam  
 Babylonis, de divitiarum Scripturæ faretris educta  
 studio Milonis cenobitæ sancti Amandi, almi ac  
 beati Christi præsulis.